

*Romana Ecclesia a tempore Sixti Quarti, hoc est Maria præ-
servationem ab originis culpa. Id est enim objectum Ecclesia-
stici cultus; ut ex verbis Alexandrini decreti liquido apparet.*

*Ut rem ex suis principiis agamus, duo sunt præmittenda;
unum notitia Pontificiarum Constitutionum hæctenus super hoc
Mysterio emanatarum; alterum brevis Historia Mysteriorum
Virginis. Sic dignoscetur, in quo gradu certitudinis Mysteria
sistant, & in illis quæ certo, quæ de fide credenda sunt.*

Bene habet: sed cave ne prætermittas, quæ in hono-
rè immaculati Conceptus decreta leguntur in Ecclesiastica
Historia. Secus enim non te brevitatis studiosum fuisse, sed
occultanda veritate tuæ causæ præsidium quæsiisse suspi-
cabor.

II. *Primus ex Pontificibus, qui de Mysterio Conceptionis
Constitutiones edidit, fuit Sixtus Quartus, qui in decreto,
quod edidit Kalendis Martii anno 1476. & incipit, Cum præ-
excellsa, instituit Festum Conceptionis immaculatae Virginis
Mariae. Et in alio, quod incipit, Grave nimis, edito pridie
nonas Septembris anno 1483. prohibet sub pœna excommunica-
tionis, nequis crimen hereseos impingat negantibus immacu-
latam Beatae Virginis Conceptionem: quæ decreta fuere confir-
mata a Sacrosancto Concilio Tridentino, quod in fine sessionis
quinta, in qua definit doctrinam de originali peccato, suam-
mentem sic explicat: Declarat tamen hæc ipsa Sancta Syno-
dus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto,
ubi de peccato originali agitur, Beatam, & immaculatam
Virginem Mariam Dei genitricem; sed observandas esse Con-
stitutiones felicitis recordationis Sixti Papæ Quarti, sub pœnis
in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

Ut alia multa præteream, quæ auctores piæ sententiæ
ad eum locum Tridentini Concilii disputarunt; hoc unum
statuo: cum Concilium renovaverit omnia, quæ Sixtus
egit ad hanc rem pertinentia; Sixtus autem Constitutiones
ediderit omnino tres; non sine fraude duas tantum adduci
ab adversario, ea scilicet prætermissa, quæ deploratæ illius
cau-